ſeu explicatio per verbum *Non poſſit*: Sequitur debere tenere prædicti AA. noſtram ſententiam, velint nolint, vt conſequenter procedant: Ergo, &c. Et de hoc ſatis. Sic ſentio, &c.

OTRO ALEGATO, Y ES EL QVINTO.

En que ſe demueſtra ſer nula la eleccion antecedente, por ſolo el defeto de Syndicato.

QVÆRITVR VTRVM ELECTIO R. P. Fr. I. *in Primum Cuſtodem Prouinciæ B. ex defectu Syndicatus ſit nulla?*

1 RESP. affirmativè cum communi Iuriſperitorum. Et probatur: Primò, quia Conſtitutiones noſtræ, *pag.* 73. in Latinis, ſtatuunt Syndicationem PP. Provincialium, & illorum, qui pro tempore, propter Provincialium abſentiam, aut mortem, Provinciales Vicarij extiterint, necnon Generalium, & Procuratorum Generalium, & præſcribunt formam, & ordinem, quo ſyndicandi ſunt; nempè antequam ad aliquam electionem Canonicam concurrant paſsivè, ſeu antequam admittantur, ſeu promoveantur denuo ad aliquod officium, ſeu dignitatem: Ergo Provincialis, ſeu Commiſſarius permanens, qui nondum Syndicatus eligitur, talis electio erit prorſus nulla: atqui P. I. nondum Syndicatum ſuſtinuit muneris Provincialatus, & Commiſſarij, quod in P. Provincia exercuit, ſed potiùs ante ſyndicationem debitam de officijs habitis, electus fuit in Cuſtodem: Ergo, &c.

2 Prima conſequentia, in qua poteſt eſſe difficultas probatur: Nam certi iuris eſt apud omnes, quod omiſſa forma ſubſtantiali, corruit actus, ex congeſtis in primo allegato num. 27. Sed prædicta forma ſyndicandi, quam præſcribunt Conſtitutiones, eſt ſubſtantialis: Ergo, &c. Probatur hæc minor: Tùm, quia ex allegatis in 1. allegat. num. 6. forma ſubſtantialis nihil aliud eſt, quam ordinata ſeries rem ad ſubſtantiam deducens, quod facit prædicta forma, vt in præcitata Conſtitutione videri poteſt: ponit enim modum, ſeriem, & ordinem ſyndicandi ante electionem, ad quam paſsivum poſsit habere concurſum, & tamdem concludit: *His demum per actis ad Miniſtri Prouincialis electionem procedatur.* Tùm, quia prædicta forma inuenta eſt, & præſcripta ab eo, qui dat poteſtatem eligendi, alias non habentibus, nempè à Conſtitutionibus, ſeu à Capitulo Generali; & tùm quia eſt prima, & vnica in hac materia, cum non ſit, nec ſupponat aliam: Ergo eſt ſubſtantialis, ex allegatis, *in 1. allegat. num.* 30. 31. & 32. immo ex allegatis *num.* 29. nam hic ſaltim eſt dubium, an ſit ſubſtantialis nec ne? Ergo, &c.

3 Probatur 2. ſeu confirmatur ex varijs iuribus: Nam ſic pluribus legibus Imperialibus, & Regalibus fuit inſtitutum, vt Iudices ſyndicarentur ante promotionem ad novum officium: nam in primis eſt text. optimus *in l. Vnic. C. de reis poſtulandis, lib.* 10. vbi habetur, ibi: *Reos poſtulatos nouos honores appetere non debere, antequam purgauerint innotientiam ſuam.* Poſtulatio enim eſt gratia petitio, vt cum ex gratia petitur aliquem ineligibilem licenter eligi, cum ſola ad inventa ſit propter incapaces, nam qui capax eſt dignitatis non debet poſtulari, ſed eligi: qua propter multæ perſonæ quæ poſtulari poſſunt, non poſſunt eligi, licèt aliæ quam plures nec eligi, nec poſtulari poſsint: vocabul. iuris, ex multis iuribus, *& toto tit. 1. ff. de poſtulando*, vbi Gloſſ. ſed de P. I. quærelantur, quam plures ex Provincia P. de exceſsibus in adminiſtratione dictæ Provinciæ commiſsis, & iſte nondum purgavit innocientiam ſuam, cum nondum ſe ſubiecerit ſyndicatur; ſed potiùs hucuſque recuſaverit illum, & ante ſyndicationem, & purgationem ſuæ innocientiæ circa tot quærelas, & quærelantes, vt ſunt contra ipſum, electus fuit in primum Cuſtodem: Ergo, &c.

4 Deinde *lex* 12. *tit.* 5. *lib.* 3. *Nou. Recopilat.* expreſsè præcipit, vt nullus officialis, ſeu Iudex promoveatur ad novum officium, niſi prius ſyndicetur de officio prius exercito, & dicta ſyndicatio in Conſilio Regali videatur, conſulatur, & executioni mandetur: quæ lex communiter ab omnibus Iuriſperitis intelligitur irritare promotionem quamlibet ad novum officium ſecus factam: ſic Azebedus cum multis, *in d. l. num.* 1. & probat ex *l. Vnic. C. de reis poſtulandis*, citata n. ant. Ergo pariformiter, &c.

5 Idem inferri valet ex *l. 1. & per tot. ff. de Magiſt. conueniend. l. Vnic. C. vt omnes Iudices tam ciuil. quàm crim.* Auth. vt Iudices ſine quoquo ſuffr. §. 4. cum alijs, *l. 1. tit. 16. part. 3. l. 6. tit. 4. part. 3. l. 23. tit. 5. oad. p. & tot. 7. lib. 3. Recop.* Caſtellus *in l. 27. Tauri, num.* 39. Baeza *in tract. de decimis tutor. præſt. cap. 2. num.* 157. Azebed. *vbi ſup. & in l. 2. tit. 7. lib. 3. Recop.* Iaſſon *in l. Vnic. num.* 16. vt omnes Iud. Avilès, Alciatus, & alij innumeri: Ergo, &c.

6 Hinc clariſsimus vtriuſque iuris interpres Paridis de Puteo Neapolitanus *in tract. de Syndicat. verb. Iudices, cap. 8. num.* 4. (pag. mihi apud congeſtum à D. Gabriele Sarayna 151.) advertit neminem debere in officio refirmari, niſi primi officij rationem reddiderit, ex *l. Neminem, de ſuſceptor, & Arch. lib.* 10. & ſecundum Barth. *ibi*, qui dicit, quòd niſi fuerit de officio primo ſyndicatus, non debere refirmari in illo officio: & facit Auth. *de collat. §. Iubemus, & in §. Si quis autem*, & eſt in Regno (Neapol.) Capitulum regimine Ioannæ primæ, quod in hoc expreſsè providet, & dicit Bartol. *in l. Reſcripto, §. Debitores, de muner. & honor.* per illum textum, quod nullus electus ad aliquod officium debet admitti antequam ſit ſyndicatus, & dederit rationem de alio oficio, quod habuit. Et notari oportet, quod verbum *Debet* in propria ſignificatione importat neceſsitatem, vt tenet Gloſſ. in Clement. attendentes, *de ſtat. Monachor. in verb. Debeant*; immo etiam, vbi materia eſt indifferens, verbum *Debet*, regulariter neceſsitatem impertat per dictam Gloſſ. & Vocabul. verb. *Debet*, & in caſu noſtro eſt irritativum ex communi, & ex dictis: *Pergo*, ſed P. I. non dedit rationem hucuſque muneris Provincialatus: & Commiſſarij, quod exercuit in Provincia P. & de quo valdè conquærelantur Religioſi dictæ Provinciæ: Ergo non debuit, nec potuit eligi in Cuſtodem, nec electus debet, aut poteſt admitti: nam non fieri, vel inutiliter fieri, vel minus legitimè fieri, ſeu aliter fieri, quam de iure debeat, paria ſunt, *ex l. Penult. ff. de ſuis, & legit. hæred. l. Quoties*, vbi Iaſſ. *ff. qui ſatisd. cogantur, l. Si autem multum, C. de legit. hæret. cap. Inter corporalia, de translat. Epiſcop. cap. Veniens, de præſumpt. non Baptiſ. cap. fin. de reſt. ſpoliat.* & ex communi DD. apud Dueñas, *litt. N. num.* 60. & 61. Ergo, &c.

7 Ad quod facit etiam, id quod Imperator Anaſtaſius providit (ad hoc vt conſtare poſſet officialem in alio officio ſtetiſſe ad Syndicatum) nempè, quod in fine officij detur ſententia abſolutoria, quæ ſententia probavit, & erit ſufficiens ad promotionem ad alia officia: vt conſtat ex text. *in l. Per hanc, de non, & actu, lib.* 12. quæ ſententia erit interlocutoria, vel diffinitiva, & quod ſit littera, quæ vocatur littera ſyndicationis: & facit text. *in l. fin. de Profeſſor. & Medic. & de Pala. Sacr. largi, l. Quidam, in fine, & de fide inſtrum. l. Solibus, & ff. de re milit. l. Milites, §. Miſsionum, & de infa. l. 2. §. Ignominia*: in qua littera Syndicationis, hi, qui ſe in officio laudabiliter habuerunt, ſunt publice commendandi; & è contra ſi male geſſerint, ſunt vituperandi, *ex l. Iuſtiſsimos, de offic. Rector. prou.* & vt ait Paridis de Puteo cum Bald. *vbi ſup. cap. 9. pag.* 152. quod eſt Capitulum Regni (intellige Neapolitani) quod non admittatur, quis ad officium niſi oſtenderit litteris ſyndicationis alterius officij antegeſti: Sed P. I. nondum habuit ſententiam abſolutoriam, cum nondum Syndicatus fuerit, & hoc non ſine quærelis quam plurium Religioſorum, qui ſunt optimæ famæ, & ex gravioribus, & magis graduatis dictæ Provinciæ P. taliter vt in ipſa ſit clamoroſa inſinuatio contra ipſum, & ipſius geſta: Ergo non potuit eligi, aut promoveri ad Cuſtodiatum: Ergo ſi promotus, & electus ſit, talis electio, & promotio erit prorſus nulla, vtpotè contra tot leges, & præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum, necnon contra conſuetudinem Religionis immemorialem facta.

8 Prob. 3. Quia præfata praxis ſyndicandi ante electionem, ſeu promotionem ad novum officium, non ſolum probatur iure civili, & Regali, verum etiam praxi omnium Religionum: ſic enim colligitur ex Conſtitutionibus PP. Diſcalciatorum Seraph. P. N. Franciſci Regularis Obſervantiæ Provinciæ Sancti Ioannis Baptiſtæ, *cap. 8. pag. mihi* 58. & ex Conſtitutionibus Clericorum Regularium, *part. 3. cap. 2. pag. mihi* 166. & 167. & ex Conſtitutionibus monialium Capuccinarum correctis, & reformatis per R. P. Fr. Hieronymum à Caſtelloferret, Generalem Capuccinorum, & approbatis per Paulum V. Matriti impreſsis anno 1619. pag. mihi 56. vbi Abbatiſſa, prius ſyndicatur de officio ante habito, quam paſsive concurrat ad electionem novam: & ſic de alijs Conſtitutionibus, quas cauſa brevitatis omitto: Ergo, &c.

9 Prob. 4. Nam cum ſyndicatio ſit experimentum totius iuſtitiæ, cumque ſyndicatio Iudicum, & Prælatorum per neceſſaria ſit, vt in officio propter metum poſsint contineri, & vt iuſtitia vnicuique tribuatur; ſyndicatus enim officialium ideò adinuentus fuit, quia Prælatus tenetur rationem reddere pro ſubditorum iniuſtitia, prout dicitur *in Auth. Iudex ſine quoquo ſuffrag. §. 1. collat.* 2. & tenent Cicero, Herodotus, & alij quos citat, & ſequitur Rodericus *tom. 2. quæſt. 4. art. 1. & tom. 3. quæſt. 77. art.* 1. vel vt ait Iſidorus *lib. 3. ſent. cap. 54. num.* 55. & plures alij, quos citat, & ſequitur Solorçanus in ſua Politica Indiana Hiſpanico idiomatè impreſſa, *lib. 5. cap.* 10. vt Prælatorum licentioſæ maxillæ reprimantur hoc fræno, & chamo redendi rationem villicationis ſuæ: cumque denique nihil poſsit magis reprimere (attenta hominum cupiditate, & honorum ambitione) in Iudicibus, & Prælatis licentiam, quàm ſecum afferunt Prælationes operandi pro libito, & captu ſuo, etiamſi ſit cum ſubditorum gravamine, quam prohibitio aſcenſus electionis, ſeu promotionis ad alia officia ante ſyndicationem officij præhabiti: ideò congrum fuit, vt ſimiles electiones prohiberentur à noſtris Conſtitutionibus tali ſeriè, ordine, & forma, vt iſta omiſſa corrueret actus, & redderentur irritæ, prout factum eſt, & probatum eſt feciſſe: Ergo, &c.

10 Prob. 5. Nam ſi quis eligatur ad officium, in tali electione ſemper intelligitur tacita conditio, ſi eſt capax, & dignus, *l. Quandiu, de ript. nupt.* quia ſuſpecti faces non patrocinantur indigno, *l. Iudices, C. de dignitat. & l. Ij, C. ſi ſervus, aut liber.* vbi dicitur obrepere, qui tacet ſuam inhabilitatem, quia Princeps non præſumitur promovere odioſos, & indignos, *argument. delegat. 2. l. Lucio, §. Lucius Titius*, & dolus ſuus dans cauſam electioni ſuæ facit, quod non tenet *l. 1. de nat. reſtit.* Baldus *in l. Barbarius*, vbi dicit, quod iſta clauſula in collatione officij, ſi eſt capax, & dignus, non facit condemnationem ſecundum Innocent. *in cap. fin. de præſumpt.* Baldus *ibi*, & Paridis *de ſyndicat. vbi ſup. litt. E. cap. 2. num. 3. fol.* 241. *Sed ſic eſt*, quod qui nondum ſuſtinuit ſyndicatum non eſt capax, aut dignus electionis ad novam dignitatem vſque dùm ſyndicetur ex tot congeſtis; & Pater I. nondum Syndicatum ſuſtinuit, vt ſuponimus: Ergo non adimpletur in ipſo dicta conditio: Ergo electio Cuſtodis ſecus in ipſo facta, eſt nulla.

11 Prob. 6. In electione officialium debet obſervari conſuetudo, *l. Super creandis, in text.* vbi Barth. *de iur. Fiſc. & l. Non tantum, §. 1. ff. de Decur.* & Bart. *in l. Magiſtratus, ff. ad municip.* ſicut contractus ſimpliciter confecti, videntur ſecundum conſuetudinem confecti, *l. Si prius, §. 1. de aqua pluv. arcend. & l. Quod ſi nollit, §. Qui aſidua, de edil. edict.* ſecundum Bart. Immo in electione officialium eſt obſervanda forma antiquitus inſtituta, *l. Super credendis, de iur. Fiſc. l. Publius, de condit. & demonſt. l. Quæ vtiliter, de condit. indebit. cap. Quia propter, de elect.* dicit Baldus, *in l. 1. de eman. liber.* nam electio officialis poterit annullari ex defectu ſolemnitatis iuris, & conſuetudinis longevæ, *l. Non tantum, ff. de Decurion. & d. l. 1. ſuper iuncta, l. Actuario, de num. lib.* 12. Paridis *vbi ſup. litt. E. cap. 3. fol. 243. pag.* 2. Sed in noſtra Religione

eſt conſuetudo longeva, immo immemorialis, quod nullus concurrat paſsivè ad electionem aliquam Canonicam ante Syndicatum muneris Provincialis, aut Commiſſarij permanentis prius habiti; & eſt forma antiquitus inſtituta, quod Provinciales ſyndicentur antequam de novo concurrant paſsive ad aliam electionem: Ergo, &c.

12 Nec eſt cur P. I. ægrè perferre debeat Syndicatum, nec ſyndicari ante concurſum paſsivum ad electionem, ſeu antequam eligatur denuo: tùm, quia divinum præceptum eſt, vt vnuſquiſque reddat rationem villicationis ſuæ: iuxta illud Lucæ 16. 2. *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* Quaſi diceret, vſque rationem quærellarum reddas. Et iuxta illud Geneſis 18. 21. Deſcendam, & videbo, an clamorem, qui pervenit ad me, opere compleverint: an non eſt ita vt ſciam? Et iuxta illud Samuelis 1. Reg. cap. 12. num. 3. Qui functus Iudicis officio ad populum affatus, ſic ait: *Ecce præſto ſum: loquimini de me coram Domino, & Chriſto eius vtrum, bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum, ſi oppreſsi aliquem, &c.* Tùm, quia æquum, & conſentaneum viſum eſt; vt quod Prælatus, ſeu Officialis in officio comedit, tempore Syndicatus ad inſtar cibi digerat, iuxta quaſdam leges, *l. 1. C. vbi ſent. vel Clan. l. 2. C. ad l. Veleiam, l. 3. C. vbi de ratio. agi oportet.* Gloſſ. *in l. 2. C. de ehoart. lib. 12.* Arctandus enim eſt, vbi adminiſtravit. Et tùm, vt ſi benè ſe habuerit, laudis premia conſequatur, ſin autem malè, puniatur; vt in titulo *Vt Iudic ſine quoquo ſuffrag. §. 1. & in Conſtit. Regni, Volumus, de numero official.* Hoc autem multis comprobant Speculat. *in tit. de Syndicat.* Andræas Iſerna, quæ ſint regalia bona condemnatorum, Paridis *de Syndicat. in princ. verb. Euidentialia, à num. 2. pag. vbi ſup.* 106. & communiter DD. & praxis, tàm iuris Canonici, quàm Civilis, & Regalis, iuxta Emmanuelem Rodericum *tom. 2. quæſt. 4. art. 1. & tom. 3. quæſt. 77. art.* 1. Ergo, &c.

13 Nec obſtat, ſi dicas 1. contra 1. fundamentum: Conſtitutiones ibi non expreſſare, quod Provinciales debeant ſyndicari ante concurſum paſsivum ad novam electionem. Non, inquam, obſtat. Tùm, quia Conſtitutiones ibi conſtituunt modum, ſeriem, & ordinem Syndicandi, & ordo, ſeu ſeries facti, quæ ibi ſtatuitur, ita diſpoſita eſt, vt ſyndicatio fiat ante omnem concurſum paſsivum illius, qui ſyndicandus eſt, vt ibi videri poteſt: *Sed ſic eſt*, quod facti ſeries iuris diſpoſitionem inducit, *ex l. Quidam referunt, ff. de iur. codicil.* Card. Tuſch. *litt. F. concluſ.* 13. & ex minima facti mutatione ius mutatur, *l. Natura cauillationis*; & ibi Alciat. *ff. de verb. oblig. l. Ea eſt, ff. de reg. iur.* ex factoque ius oritur, *l. Si ex plagijs 53. ff. ad leg. Aquil. l. fin. in princ. ff. de iur. iurand.* & Dueñas cum multis, *litt. F. num. 35. 36. & 37.* Ergo, &c.

14 Tùm, quia ipſemet Conſtitutiones *ibi*, conſtituunt diſcrimen, quoad tempus in ſyndicatione Patris Provincialis, qui implevit ſuum trienium, ab eo, qui nondum trienium implevit: nam de iſto ſtatuunt, quod ſyndicetur à Diffinitoribus ante electionem Provincialis; & de illo, quod ſyndicetur poſt electionem Provincialis ab iſto noviter electo: & hoc non alia de cauſa, niſi quia Provincialis; qui nondum implevit trienium habet paſsivum concurſum in electione Provincialis facienda; ſecus autem ille, qui triennium implevit: idem diſcrimen ſtatuunt dictæ Conſtitutiones *ibidem* inter ſyndicationem Patris Generalis, & Procuratoris Generalis: nam ſtatuunt, quod Procuratoris Generalis ſyndicatus, & culpa, à Patre Generali, tunc à Generalatus officio vacante, vna cum præcedentis Capituli diffinitione adhuc in ſua priſtina manente poteſtate; Patris verò Generalis tunc ceſſantis Syndicatus, & culpa, à Patre Generali tunc recenter electo, audienda ſit: & hoc nequit eſſe alia ratione, niſi quia Procurator Generalis habet paſsivam in electionibus immediatè ſequentibus, ſecus autem Pater Generalis qui ceſſat: Ergo, &c.

15 Tùm, quia Conſtitutiones Generales factæ in Capitulo Generali celebrato Romæ anno 1633. per Rever. P. Fr. Antonium de Modena, Miniſtrum Generalem in dicto Capitulo electum, vt insererentur in Conſtitutionibus Generalibus, quæ proximè erant reimprimendæ; primum, quod ſtatuunt, eſt, quod ſequitur: *Que el Padre General, que vaca, deſpues de auer ſido ſyndicado de ſu Gouierno, ſea admitido à la Difinicion para las determinaciones, y reſoluciones del Capitulo (ſolamente) y que entre en lugar de ſeptimo Difinidor.* Vbi notanda ſunt illa verba: *Deſpues de auer ſido ſyndicado; En ſolamente* Nam ſi adhuc ad hoc, vt admittatur ad Diffinitionem per illud breve tempus, & ad illas ſolas reſolutiones, ad quas experientia in viſitatione acquiſita poteſt multum iuvare, requirunt quod ſyndicatio illius præcedat, quanto potiori iure requirent, quod præcedat talis ſyndicatio, antequam ſyndicandus concurrat paſsivè ad aliquam electionem Canonicam? Ergo, &c.

16 Neque ad hoc obſtat, quod dicta Conſtitutio de aſsiſtentia Patris Generalis ceſſantis in Diffinitione ſequentis Capituli, forte ſit abrogata. Non, inquam, obſtat: nam argumentum à lege abrogata valet, *cap. Authoritate, de conceſſ. præb. lib. 6.* vbi Bonifacius VIII. leges correctas in argumentum allegat; *cap. 11. quæſt. 1. iuncto cap. Nouit, de iudic.* & ibi DD. & cum multis Dueñas, *litt. A. num. 578.* Ergo, &c.

17 Et tùm denique: quia ſic ſemper fuit practicatum in Religione, ita vt ſit immemorabilis conſuetudo, vt nullus concurrat paſsivè ad aliquam electionem Canonicam, quin prius ſyndicetur de Provincialatus officio antea exercito: *Sed ſic eſt*, quod conſuetudo eſt optima legum interpres, *cap. Cum dilectus, de conſuetudine, l. Minimè, l. Si de interpretatione, ff. de legib.* immo conſuetudo habet vim parem cum lege, *l. De quibus, ff. de legib. §. Ex non ſcripto, Inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil. cap. fin. extra, de conſuetudin. l. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo, cap. Conſuetudo, 1. diſtinct.* vnde venit appellatione iuris, Mench. *q. frequent. cap. 3. num. 32.* Ergo, &c.

18 Nec valet, ſi dicas 2. Ius civile commune, ſeu Imperatorium non obligare in Regnis Imperio non ſubditis, neque in Religionibus: & idem eſt, quoad iſtas, de Regalibus legibus: Ergo ex illis nequit aſſumi

ſumi argumentum efficax. Prob. conſequentia: Nam leges civiles prohibentes actus directè, & in ſe ipſis, ac ſimpliciter per ſe non irritant ipſofacto actus contra ipſas factos, niſi in virtute legis *Non dubium, C. de legib.* Ergo vbi hæc non obligat, neque irritare poterint illæ: Ergo, &c.

19 Non valet, inquam: tùm, quia valdè celebris vtriuſque iuris ſententia eſt; poteſtatem vniverſalem ferendi leges Civiles obligantes totam Eccleſiam eſſe in Imperatore, Imperatoremque habere ius, & dominium iuriſdictionis in vniverſum Orbem: quan tanta aſſeveratione aſſeruit Barth. *in l. Hoſtes, ff. de captivis*, vt hæreticum reputet, qui dixerit Imperatorem non eſſe dominum Orbis. Quod de dominio iuriſdictionis verum eſſe tradit Soccinus *conſ. 127.* & Paul. Caſtrēſ. *conſ. 61. volum. 2.* & hoc fundamentum tamquam certum ſupponit Panormit. *2. part. Conſil. conſ. 6. num. 2.* Caſtald. *vbi infra*, cum multis quos citat, & ſequitur, & alij quam plures. Probarique poteſt: 1. Ex illo Lucæ, cap. 2. *Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniverſus Orbis*, iunctis illis verbis Chriſti Dñi. Matth. 12. & Lucæ 30. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* In quibus verbis Chriſtus Dominus videtur approbaſſe Imperium Cæſaris, quod Lucas dixit eſſe in vniverſum Orbem, vnde in *l. Deprecatio, ff. ad legem Rhod. de iact.* Imperator dicit: *Ego mundi Dominus*: Ergo, &c.

20 2. Quia licèt Imperator non habeat vniverſalem iuriſdictionem legislativam in totum Orbem, iure ſanguinis, belli, electionis, aut alio humano titulo, cum primus Imperator Romanorum electus non ſit ab hominibus totius vniverſi, vt ab illo ſuccedere potuerint alij cùm eadem vniverſali poteſtate, nec ſibi ſubiecerit omnia per bellum, neque vnquàm defacto tale dominium vniverſale habuerit ratione originis: & licèt, nec à Deo ipſo immediatè acceperit dictam poteſtatem vniverſalem in totum Orbem, vt eſt certiſsimum, attamen poſt Chriſti Domini adventum videtur habere illam ex ſpeciali inſtitutione ipſiuſmet Chriſti Dñi, in verbis ſupra relatis, vt ait Barth. in Extravag. *Ad reprimendum, verb. Totius Orbis*, & Caſtald. *tract. de Imperatore, quæſt. 52. à num.* 10. Ergo, &c.

21 3. Quia licèt fortè, nec ex inſtitutione Chriſti Imperator Chriſtianus habeat dictam vniverſalem iuriſdictionem ad ferendas leges civiles in vniverſum Chriſtianum Orbem, ſeu in vniverſam Eccleſiam, vbicumque fuerit diffuſa; certum tamen videtur, illam habere eſt inſtitutione ipſiuſmet Eccleſiæ, ſeu Romani Pontificis, & poſteà per electionem legitimam, iuxta Ritum ab eadem Sede Apoſtolica ordinatum. Quod probari poteſt: primo, quia iura Canonica hoc indicant: conſtituunt enim Pontificem, & Imperatorem tamquam duo ſuprema Capita Eccleſiæ; vnum in ſpiritualibus, & alium in temporalibus. Vnde *in cap. Solitæ, de maiorit. & obed.* comparantur Soli, & Lunæ, & *in cap. Duo 96. diſt.* Mundus dicitur principaliter regi authoritate Sacra Pontificum, & Regia poteſtate: vnde Hieronymus *cap. In apibus 7. quæſt.* 1. dicit in omni Ordine eſſe debere Principem vnum; & ſubdit *Imperator vnus.* Secundo favent iura civilia Chriſtianorum Imperatorum, nam *in l. 2. de veter. iur. enuc. in fin.* ait Iuſtinianus: *Tertia pars totiùs mundi accrevit nobis, poſt Europam enim, & Aſiam, tota Lybia noſtro Imperio adiuncta eſt*, vnde *in l. Cum multa, C. de bon. quæ liber. habetur: Imperialis fortuna omnes ſupereminet alias*; & in Extravagant. *Ad reprimendum*, in princ. dicitur: *Romanum imperium in cuius tranquilitate totius Orbis* (Chriſtiani nempè) *regularitas requieſcit.* Et tertio, quia conſtat Imperatoriam dignitatem, vt nunc eſt in Eccleſia, inſtitutam eſſe à Summis Pontificibus, & ex vi illius Imperatores eſſe ſupra omnes Reges, & Principes Eccleſiæ. Patet hoc ex translatione Imperij, quæ à Grecis ad Germanos per Pontificem Romanum facta eſt, vt conſtat ex Clem. *Romani, de iur. iurand.* vbi etiam dicitur Imperatorem à Pontifice accipere approbationem, vnctionem, conſervationem, & coronationem. Idem inferri valet, *ex cap. Venerabilem, de elect.* vbi etiam dicitur: Electores Imperij à Sede Apoſtolica habere ius eligendi; & Gloſſ. ibi, verb. *In Germanos*, addit; *Sic ergo Regnum mundi translatum eſt ad Teutonicos.* Et alia, quæ latè proſequitur, ſentiens, Imperatores Orientis ex tunc non fuiſſe verè Imperatores: *Sed ſic eſt*, quod ſecluſa iuriſdictione, & dominio nihil habet dignitas, Imperatoria, in quo Regiam excellat: Ergo ſequitur, quod habeat iuriſdictionem temporalem in totam Eccleſiam: Ergo, &c.

22 Tùm 2. Quia ſaltem videtur receptum eſſe in Hiſpania, vt ius civile ſervetur, vbi leges Regni deſunt: ita tenet Burgos de Paz *in l. 1. Taur. num.* 520. vbi etiam Ant. Gom. *num.* 10. ſentit leges, civiles habere vim legis in Hiſpania deficiente lege Regni: Ergo quia ſentit dictas leges obligare, vel ex ſe, vel ſaltim ex conſuetudine, quæ vim legis habeat: idem ſentit Matienço *in l. 1. lib. 5. tit. 2. Nov. Recop.* nam cum in hac lege poſt aliquas prohibitiones addatur: *Et vt fraudes euitentur, præcipimus, vt omnes contractus pacta, & promiſsiones factæ in huius legis nulla in ſe ſiat, & nullius effectus.* Addit Matienço ibi, *in Gloſſ. vlt.* idem fore etiam ſi hæc poſteriora verba non adderentur: ad quod confirmandum nullam legem Regni adducit, ſed tantum, *l. Non dubium, C. de legibus, & l. Fraus, ff. de legib.* Ergo quia ſentit, has leges obligare, vel ex ſe, vel ſaltim ex conſuetudine. Idem videtur ſentire Gregorius Lopez *in l. 28. tit. 11. partit. 5.* vbi in fine dicitur, omnem promiſsionem factam contra legem Regiam, vel contra bonos mores obſervandam non eſſe, etiamſi in illa fuerit addita pœna, vel iuramentum: vbi Gregorius Lopez, *num. 7.* videtur legem illam intelligere, iuxta *l. Non dubium*: Ergo, &c. Et ex experientia, & practica probari poteſt dicta conſuetudo: nam conſentientibus Regibus, vel ſcientibus, & tacentibus, Iudices huius Regni, deficiente lege Regni, frequentiſsimè iudicant per leges Civiles. Nec ſufficit dicere, id facere imitatione, & non obligatione: nam licèt fortè hoc ita fuerit in principio, frequentia tamen, & conſuetudo inducere potuerunt legem non ſcriptam, quæ ius conſuetudinis appellatur, præcipuè ſi addatur, vel ſupponatur ſaltim tacitus conſenſus Principis: Ergo, &c.

23 Tùm 3. Quia licèt leges Civiles non obligent ex ſe in Regnis, vel Communitatibus poteſtatem habentibus ad leges condiendas,non ſubiectis Imperio; poterunt tamen dictæ leges obligare, quatenus, & ſi per leges talium Regnorum,& Communitatū acceptatæ fuerint:ſic in LuſitanięRegno,vbi deeſt lex Regni ſervatur civile , licèt non vi ſua,ex ordinatione tamen propria eiuſdem Regni , vt habetur *lib. 3. ordin. tit.64*. Sic etiam in terris ſubiectis Pontifici in temporalibus , vbi ius Canonicum defuerit , ſervatur ius civile, ac per conſequens in foro Eccleſiæ in tota Eccleſia,quia in hoc foro vbique ſubiecta eſt iuri Conico,à quo canonizatum eſt civile,vt infra dicam:ſed inſtructiones Iudiciales noſtræ Capuccinorum Religionis per duo Capitula Generalia ſtabilitæ , & promulgatæ admittunt,ſeu acceptant ius commune deficiente lege propria , cum ad illud pro pœnis in dicto caſu permittant recurrere , vt conſtat ex num. 67. dictarum inſtructionum,vbi ſic habetur: *Quoniam autem nimis longum eſſet ſingulis delictis ſingulas pœnas debitas aſsignare,Prælatorum erit eas,vel à iure communi, vel ex Ordinis, & Congregationis noſtræ ſtatutis, & conſuetudine , elicere , & arbitrari.* Vbi notandum eſt ly, *vel à iure communi* : Ergo,&c.

24 Tùm 4. Quia licèt dictæ leges civiles non obligent ex ſe , nec poſsitivè acceptatæ ſint à Principibus , ſeu Communitatibus, quæ poſſunt condere leges , tamen deficiente lege propria recurrere poterunt,& debent ad dictas leges,iuxta tradita abEmmanuele Roderico, *tom.2. quæſt. regul. quæſt.21*. vbi ſic habet : Iure autem Pontificio deficiente,deficientibus etiam Conſtitutionibus Generalibus, Provincialibus, etiam aliarum Provinciarum , & Religionum, ad ius commune oportet recurrere , quando in Regnis Romanorum Imperatorum antiquæ ſanctiones rationis ſolum , non verò legum ſibi vendicant authoritatem: debent enimIudicesRegulares per eas regi,non quod lex ſic dicit , ſed quia ratio , qua lex vtitur , ſic vult prout voluerunt Bald. *in l.Iudices,C.de ſent.* Cumanus *conſ.14.* & Decius *in l.Senium,C. qui teſtam.facere poſſ.* & cum ius Regni dicatur ius civile , & commune, prout aſſerit Segura, *in l. Cohæred. §. Cum filiæ, num. 19. ff.de vulg. & pupil. & in l.5. tit.4. lib. ordinament.* decernitur, adeò, quod ſint præferendæ ab ipſis Iudicibus legibus Imperialibus ſecundum Villa-Diego *in cap. Conſtitutus , de reſt. in integr.* quem refert Ioannes Lupus *in repet. rubr. de donat. inter. fol. col.1. in fin.* Ad ipſas leges Regni etiam recurrere oportet , eius rationem, & mentem legi naturali conformem cauſis Regularium applicantes.Hucuſque dictus Author ſatis ad rem:nam nos dictas leges ſolum citamus, quaſi in confirmationem Conſtitutionis primo num.citatæ, & vt clarè agnoſcatur illam eſſe iuxta omne ius , ac per conſequens omnimodo rationabilem : nam dicta Conſtitutio, ita ſe habet, & procedit in eo, quod ſtatuit circa ſyndicationem Provincialium ante concurſum paſsivum , vt ex ipſa conſtat , iunctis adductis in primo allegato,& alijs quæ in principio huius allegati adduximus,electionem ſecus facta fore nullam: Ergo,&c.

25 Et tùm 5. & melius : Quia leges incluſæ in corpore iuris , ſeu leges civiles, quæ iuris communis dicuntur (quas vocant *Imperiales*) deficiente Canone obtinent in foro Eccleſiæ , & ad Clericos, & Regulares extenduntur , vt bene Hieronymus Rodericus *in Compend. quæſt.Regular.* Emmanuelis Roderici *reſolut. 90. verb. de legib. num. 2.* & communiter omnes,licèt non vi ſua , vt multis placet , ſed quia ita Pontifices voluerint : ſunt enim canonizatæ, ſeu approbatæ per Pontifices in adiutorium Canonum ; *cap. Si in adiutorium, cap. Certum, cap. De Capitulis , diſt.10. cap.1. de noui oper.nuntiat.* quod procedit non ſolum in favorabilibus,ſed etiam in odioſis,quas non reijciunt Canones , quin potius eas admittunt ad oſtenſionem iuſtitiæ in ordine ad bonum commune,*cap.Cum ad ſedem, cap. In litteris , cap. Grauis , de reſt. ſpoliat.* quæ iuſtitia non minus reperitur in legibus odioſis , quam in favorabilibus, *cap. Facta 4. diſt. l. 1. ff. de legibus*: Ergo, &c.

26 Nec valet , ſi dicas 3. Nullum adeſſe in hac cauſa legitimum oppoſitorem , ſiquidem nullus ex Provincia B. contra illum reclamavit , aut reclamat. Non, inquam,valet : nam præter dicta in primo allegato, dico nunc : quod hanc oppoſitionem poteſt facere omnis ille cuiuſcumque intereſt, *l. Si ſuſpecta*, vbi Barth. *ff.de inoff. teſtam. & cap. Veniens 2.* vbi DD. *de teſt.* & Gloſſ. *verb. Produxiſſe , in cap. Conſtitutus* , vbi Abbas *num.1. de teſt. & cap.2.§.fin. vt lit. pendent. lib. 6. & cap. fin.eod.tit. & lib. & cap.Cum ſuper,de ſent.& re iud.* Cardoſus *in ſua praxi,verb.Oppoſitio,num.1.* de alij quam plures ; ſed cuiuſque de Religione intereſt, quod obſerventur Conſtitutiones, & quod electiones fiant,iuxta illarum præſcriptum: Ergo,&c.

27 Nec valet, ſi dicas 4. Virum iuſtum , & ſapientem ab omnibus integerrimum reputatum ad aliquod munus Iudicis , vel Præſulatus aſſumptum, functo ſuo officio,minimè fore ſyndicandum: nam ad bonum regimen pertinet prius de virtute , moribus, ſcientia , & experientia promovendorum fieri non vulgare ſcrutinium,& examen,ne ipſi promoti poſteà accuſationibus , & delationibus ſubditorum ſuccumbant,quæ ſæpè ſæpius imprudentiſsimè proponuntur, quas ipſi ſubditi , & Prælati timentes non debita audacia pro Tribunali ſedent , & à iuſtitia miniſtranda retardantur. Quod confirmari valet: nam ſi eliguntur Iudices,& Prælati in virtute eminentes, & bona fama præſtantes , nullus videtur remanere excellentior in Republica, qui ſine peccato poſsit inijcere lapides in eos,qua doctrina attenta,videtur inReligionibus non debere Prælatos ſyndicari, cum vt plurimum digniores,& in virtute præſtantiores eligantur.

28 Non,inquam,valet: Tùm,quia ſyndicatio eſt de iure divino , vt dictum eſt ſupra , & tenet Emmanuel Rodericus *tom.3.quæſt.77.art.1.* indicatque noſter Boverius *in ſuo Directorio , part. 1. cap.7. §. Cum igitur, pag.39.* Tùm, quia Eccleſiæ , & Religionum praxis eſt in contrarium , quæ ratione , & iure comprobatur;iure vt ſupra;ratione vero exRoderico cum alijs:quia cum homo ſolum videat exteriora,& nullo modò perſcrutari poſsit interiora , ſæpè imbecillitas humana fallitur exterioribus apparientijs. Plurimi enim exterius vultum,& faciem habent ouis,intrinſecus autem ſunt Lupi rapaces , & ſub ſpecie virtutis multa vitia ſecreta occultari , nos experientia docet; & licèt plurimi ante promotionem ad officia humiles,& benignos ſe omnibus præbeant,in dignitate tamen conſtituti inflatos, & cum auſteritate (ne dicam cum iniuſtitia) imperantes ſe omnibus oſtendunt,vt experientia notum eſt : Ergo, &c. Sic ſentio in hoc Matritenſi Conventu , die 4. Novembris, anno Dñi 1677.

CONSULTA. VI.

Acerca de la inſtitucion de vna Priora ; que hizo el Reverendiſsimo Padre General de la Sagrada , è Inclita Religion Carmelitana , reclamando contra ella algunas Religioſas del tal Convento, en el Reyno de Portugal.

PROPOSTA.

„ REverendiſsimus P. Generalis OrdinisCarme-
„ litarum Calceatorum habet authoritatem
„ ſibi conceſſam per Conſtitutiones Ordinis inſti-
„ tuendi per ſe ſolum,& nominandi Priores Locales
„ in Conventibus ſibi ſubiectis , quando illi bene
„ viſum fuerit.
„ In virtute iſtius authoritatis creavit in Priori-
„ ſam cuiuſdam Monialium ſibi ſubiectarum quam-
„ dam N. & miſsit patentes litteras iſtius creationis
„ Provinciali , vt illas daret executioni cum pœna
„ rebellium inobedientibus.
„ Accepit Provincialis prædictas litteras patentes,
„ & comiſsit illarum executionem cuidam Religio-
„ ſo,qui illas de verbo ad verbum legit,& declaravit
„ talem N. eſſe legitimam Prælatam,vtpotè à Reve-
„ rendiſsimo creatam.
„ Aliquæ Moniales ipſius Conventus noluerunt
„ obedire,dicentes ſe impetraviſſe à Congregatione
„ Regularium quoddam decretum , vt in electione
„ Priores Prælati Ordinis non poſſent coarctare il-
„ larum libertatem , nominando tres , vel quatuor
„ Moniales determinatas,vt ex illis eligatur vna.
„ Sacra Congregatio comiſsit negotium Vicario
„ Generali illius Diœceſis , qui ſola informatione
„ Monialium aliquarum pronunciavit ſententiam in
„ qua præcepit Patri Generali , ſeu Præſidi electio-
„ nis , vt in electionibus faciendis in prædicto Con-
„ ventus non faciant nominatam trium, vel quatuor
„ perſonarum:ſed permittant Monialibus in electio-
„ nibus dare ſuffragium cui voluerint.

Quæritur.

„ Vtrum hæc ſententia Iudicis delegati impediat
„ executionem Patris Generalis , & creationis præ-
„ dictæ Prioriſæ.

Et videtur quod non.

„ Quia P. Generalis habet authoritatem per Con-
„ ſtitutionem Ordinis, & eſt in poſſeſsione exercicij
„ talis authoritatis,inſtituendo in aliquibus Conven-
„ tibus Religioſorum Priores per ſe ſolum,ſine con-
„ tradictione vlla.
„ Deinde Moniales, vt advertit eadem Conſtitu-
„ tio Ordinis tenentur ad obſervationem Regulæ,&
„ Conſtitutionis,ſicut tenentur Religioſi: & inſuper
„ ex ipſamet Conſtitutione ſunt immediatè ſubiectæ
„ Patri Generali.
„ Nec obſtat Decretum Sacræ Congregationis,
„ nec ſententia Iudicis delegati. Et ratio eſt : Quia
„ tam ſupplicatio Monialium facta ipſimet Congre-
„ gationi, quam ſententia Iudicis delegati ſolum lo-
„ quuntur per hæc verba *in electionibus faciendis*; ſed
„ ſic eſt,quod in caſu præſenti non fit electio,nec ad
„ illam proceditur, & ſolum declaratur pro Prioriſa
„ Monialis facta Prioriſa à ſuo P. Generali habente
„ authoritatem illam faciendi : ergo executio non
„ impeditur per hanc ſententiam.
„ Vbi etiam adverti debet , quod nunquam eſt
„ præſumendum, quod Sacra Congregatio intendat
„ derogare Conſtitutionem Ordinis , nec authorita-
„ tem per illam conceſſam Generali illo in audito;&
„ a fortiori nec Iudex delegatus.
„ Deinde Moniales in tenore ſuæ petitionis ſo-
„ lum repręſentabant, quod Provinciales in electio-
„ nibus ſolent nominare tres , vel quatuor Moniales
„ in electionibus , ratione cuius precabantur à Sacra
„ Congregatione , quod preciperet Provincialibus,
„ vt in electionibus non faciant nominatam particu-
„ larium perſonarum: & hoc ipſum in terminis pręe-
„ cipit Iudex delegatus.

1 Pro validatione geſtorum à Reverendiſsimo P.Generali Ordinis Carmelitarum,& à Commiſſario litterarum prędicti Generalis executore, Iura,Doctores,& ratio clamant, non obſtantibus oppoſitione dictarum Monialium,aut ſententia Iudicis delegati.

2 Primo,quia ſic conſtat ex Tridentino *ſeſſ.25. de Regular. cap. 7.* Vbi poſtquam aſsignavit aliquas conditiones pro electione Abbatiſſarum neceſſarias (caſu quo per electionem conſtituendæ ſint Abbatiſſæ) concludit in fine : *In reliquis ſerventur ſingulorum Ordinum , vel Monaſteriorum Conſtitutiones: Sed ſic eſt* , quod, vt ſupponitur , in Sacra Religione Carmelitarum eſt Conſtitutio , tribuens authoritatem Generali inſtituendi , & nominandi per ſe ſolum Priores Locales in Conventibus ſibi ſubiectis , quando illi bene viſum fuerit : Ergo ex hac Conſtitutione, & Concilio Tridentino clare liquet , præfatum modum conſtituendi,& nominandi Abbatiſſam illam, legitimum eſſe , nec potuiſſe præfatas Moniales illi ſe opponere.

3 Probatur hæc conſequentia: Tùm,quia diſpoſitio legis etiam pœnalis, & correctoriæ , loquens de maſculis , extenditur ad fœminas ; vt multis allegatis tradit Decius, *l. Fœminæ, num.110. ff. de regulis iuris.* Sanchez *in præcept. Decalog. lib.5. num.19.* & idem debent tenere plures quos ibi citat.Quod maximè locum habet in noſtro caſu : cum prædictæ Moniales ſint immediatè ſubiectæ Patri Generali, & vt advertit dicta

dicta Ordinis Conſtitutio, teneantur ad obſervationem dictarum Conſtitutionum ſicut tenentur Religioſi.

4 Tùm: Quia cum fœminę non ſint propriè Prælatæ, ſed quaſi ex commiſsione eo munere funguntur, ob periculum habitationis Prælati cum Monialibus, vt teſtatur D. Thomas 4. *diſt.25. quæſt.2. art.1. quæſtiuncula 1. ad 2.* & cum Abbatiſa tantum ſit velut mater familias, vt teſtantur quam plures; eſt potior ratio cur Generalis, qui poteſt inſtituere, & nominare, per ſe ſolum Priores Locales (qui ſunt vere, & in rigore Prælati) in Conventibus ſibi ſubiectis, quando illi bene viſum fuerit; poſsit etiam conſtituere, & nominare per ſe ſolum Abbatiſas (quarum officium non eſt vera Prælatia, nec tanti momenti, quanti Priorum Localium) in Conventibus ſibi ſubiectis, quando ſimiliter illi bene viſum fuerit.

5 Tùm: Quia ius Canonicum maximè auerſatur huiuſmodi oppoſitiones, *cap. fin. de dolo, & contumac.* Layman *in Quæſtionibus Canonic. de Prælator. elect. cap.11. quæſt.117.* Et tùm, quia cum litium introductio criminum occaſionem, & magna alia detrimenta prębeat, quæ videri poſſunt apud Tiraquel. *de retract.lign. §.8. Gloſſ.7.* Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. allegat. 79. à num. 10. & in cap. Vt circa, de elect. in 6. num.2.* Rebuff. *in probem. concordatæ, verb. Sumptibus, pag. 511. & in l. Litis nomen 36. ff. de verb. ſignificat.* Gonçalez *ad regul. 8. Cancell. §.7. proem. à num.12.* Quæ maximè procedunt in Monialibus, quæ omnino ab huiuſmodi litigijs, & forenſibus negotijs abſtinere debent; proculdubio non niſi in caſu claræ iniuſtitiæ, huiuſmodi oppoſitiones, ſeu impugnationes fieri debent: quæ iniuſtitia manifeſtè clara abeſt in noſtro caſu, *immo*, & omnis iniuſtitia, cum prędictus P. Generalis vtatur iure ſuo: *immo* pro iuſtitia, eſt in dictis Monialibus contumacia, & rebellio, non obediendo ſuo Superiori legitimo; ſed loco reſignatæ obedientiæ, quam præſtare tenebantur, impugnando ſuis oppoſitionibus notoriam authoritatem ſui Generalis: Ergo, &c.

6 Secundo: Quia communiter ſupponunt Authores inſtitutiones Monialium in Abbatiſas fieri debere iuxta Conſtitutiones Religionum: ſic ſpecialiter Tamburinus *de iure Abbatiſarum, diſput. 28. part. 1. num. 3.* vbi poſt quam interrogaverat ad quem ſpectet Abbatiſæ, ſeu Prioriſæ electio, & poſtquam aliqua pro reſolutione dixerat, concludit tandem hijs verbis: *Sed in hoc valde immorari non opportet, cum hodie attendatur Conc. Trident. ſeſſ. 25. de regul. cap. 7. vbi præcipit, quod ſerventur ſingulorum Ordinum, & Monaſteriorum Conſtitutiones.* Et quod ſtatuta concedentia huiuſmodi authoritatem Superioribus ſervari debeant, ac valida ſint, tradunt in terminis, Navarrus, *de Regul. comm.3. num.3.* Antonius Perez *ſuper Regul. D. Benedicti, cap.4.* Suarez *de Relig. tom.4. tract.8. lib.2. cap.7. num.8.* vbi ait, quod propter damna, & pericula electionum, plures ex Religionibus, vel abſtuliſſe electiones, vel reduxiſſe illas ad concilium aliquod paucarum, & gravium perſonarum: & copioſiſsimè *lib.10. cap.3. per totum.* vbi pluribus, & ſolidis fundamentis probat, quod ſit maximè conveniens, vt Prælati Locales non fiant per electionem, vel ſuffragia ſubditorum, ſed ſolum per voluntatem, ſeu proviſionem Patris Generalis: idem tenent Sigiſmundus à Bononia *de elect. part. 3. dub. 110.* Lotterius *de re beneſ. lib.2. quæſt.15. num.30. & 32.* & alij. Ex quo, ad intentum efficaciter arguo. Non obſtante, quod ſecundum ius commune electio Prælatorum pertineat ad Monaſteria, ſeu Conventus, *ex cap.1. de elect. cap. Indemnitatibus, de elect. in 6. 1. Congreg. 15. quæſt. vltim.* nihilominus Conſtitutiones quam plurium Religionum, quibus præſcribitur, quod Prælati immediati Monaſteriorum (qui ſunt vere Prælati, & habent iuriſdictionem ordinariam) fiant per nominationem factam à Generalibus, vel Prælatis ſuperioribus; validæ ſunt, & executioni de mandantur: multo ergo magis hæc conſtitutio, de qua loquimur, & ipſius executio erit valida, & manutenda in præſenti caſu; cum Prioriſæ ex vna parte non ſint propriè Prælatæ, ſed quaſi ex commiſsione eo munere fungantur, & ex alia, prædictæ Moniales teneantur ad obſervationem dictæ Conſtitutionis.

7 Tertio ex honeſtate Conſtitutionis: Nam dicta Conſtitutio proculdubio rationabilis, licita, & honeſta eſt: tùm, quia facta à viris graviſsimis nempè à Generali, & Diffinitoribus in graviſsima, & illuſtriſsima Congregatione Carmelitana, ſeu vt melius dicam, à toto Ordine; & pro Iudice, ſeu Prælato ſemper iura præſumunt, *cap. In præſentia, de renuntiat. l. Vir bonus, ff. iudicatum, l. Final. C. ad leg. Iul. rep.* Quid ni pro tota vna Religione? Et tùm, quia finis illius honeſtiſſimus, & iuſtiſsimus eſt: nempè, quia poteſt dari caſus in quo congruat electionem auferre à communitate, & in quo conveniens ſit, quod Reverendiſsimus P. Generalis per ſe ſolum conſtituat, & nomine Prioriſam, vel Priorem in Conventibus ſibi ſubiectis: qua de cauſa datur illi prædicta authoritas, & iudicium prædictæ congruentiæ relinquitur arbitrio ipſius per eamdem Conſtitutionem, ibi: *Quando illi bene viſum fuerit.* Quare arguere præfatam Conſtitutionem de inhoneſta, irrationabili, vel minus congrua, difficillimum eſt, & in præſenti temerarium: non enim poteſt hæc actio ſubſiſtere, ſine iniuria totius Ordinis Carmelitani, qui fecit dictam Conſtitutionem, & per illam huiuſmodi authoritatem P. Generali conceſsit: Ergo, &c.

8 Quarto ex approbatione, ſeu acceptatione dictæ Conſtitutionis: Nam cum pręfatum Monaſterium Monialium, ſicut nec alia eiuſdem Congregationis, nunquam reclamaſſe reperiantur contra præfatam Conſtitutionem; cenſeri debent illam approbaſſe, & in ipſam conſenſiſſe: paria enim ſunt non contradicere, & approbare *ex l. In adoptionibus, ff. de adoptionib.* Bartol. *in l. Ne in arbitrijs, ad fin. verſ. Venio ad verſiculum finalem, C. de arbitr.* & optimè Maſcardus *de probation. concluſ.121. à num.20. cum trib. ſeq. & ſpeciatim num. 13.* Ergo prædictæ Moniales modo contradicere non poterunt.

9 Pr. hæc conſequentia: Tùm ex Regula illa, quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt,

cap. Quod ſemel 21. de regul. iuris in 6. quæ regula ſumitur, *ex l. Sicut, C. de action. & obligation. Inſtit. lib.1. tit.6. quib. ex cauſ. manumit. non licet, §.6. ſemel autem cauſa.*

10 Tùm: Quia approbatum ſemel non poteſt amplius reprobari, *ex l. Pomponius, ff. de negot. geſt. & ex cap. Cum vintonienſis, de elect.* ibi: *Nos attendentes quod iſti poſt primam electionem admiſſerant illos*, vbi Gloſſ. *in verb. Admiſſerant*, notat ex eo textu, & alijs quos refert, nullum poſſe reprobare, quod ſemel approbavit, ac proinde Electores admitentes aliquem iure ſuffragij privatum, amittere ius illum repellendi. Menoch. *conſ.373. n.39.* Surd. *conſ.18. n.2. & conſ.351. n.41. & deciſ.132. n.4.* Tuſchus *tom.6. litt. Q. concluſ.48.* Hoſtienſ. *cap. Tranſmiſſæ, de eo qui cog. conſang. fin. & plures alij.* Sic ergo prædictum Monaſterium Monialium qui admiſsit præfatam Conſtitutionem, non poterit modo illam contradicere, ſeu reprobare illius executionem.

11 Ad quod etiam maximè accedit, quod præfatus conſenſus habere videatur vim reſignationis proprij iuris ad eligendum, quando aliter bene viſum fuerit Reverendiſsimo P. Generali, cui ſubiectus eſt dictus Conventus, prout facile ex Rotæ deciſsionibus, & Doctoribus confirmari poſſet. Immo, & dictũ conſenſum de facto interveniſſe, ex antiquitate dictæ Conſtitutionis, vna cum acceptatione, & non reclamatione, & longiſsima obſervantia, ſeu poſſeſsione exercitij talis authoritatis, in qua eſt dictus Generalis, inſtituendo in aliquibus Conventibus ſibi ſubiectis Superiores locales per ſe ſolum, præſumitur; vt firmat Rota *in vna iuriſdictionis 4. Martij 1616. coram D. Martino Andrea, num.22.* ex Alexandro, Decio, Rolando, Gozadino, & alijs. Subſumo: ſed pręſumptio habetur pro veritate, *l. Quicunque, C. de apoch. public. lib.1.* Iaſſ. *in §. Fuerat, n.59. Inſtit. de actioni.* Ergo, &c.

